PRAELVDIA
OPTIMI IVRISCON-SVLTI, PROBIQVE MAGISTRATVS.

AVTHORE PETRO GREGORIO Tholoſano, Iuris ciuilis & Pontificij doctore, nunc eorundem iurium publico profeſſore, & Decano in noua academia Pontiſmuſſana, Lotharingiæ.

In quibus tractantur conſultiſsimæ Themidis filiæ quinque, Iuſtitia, Eunomia, Pax, Horæ, & Parcæ, prout iuris tractationi conueniunt.

Noua authoris prælectione reuiſa, & ab infinitis prope mẽdis prioris editionis repurgata, & Græcis ac Hebraicis quibus prior egebat completa, & Indice locupletata.

LVGDVNI,
APVD ANT. GRYPHIVM.

M. D. LXXXIII.

PRINCIPI SEnatus Tholoſani digniſſimo, D. Ioanni à Daſis, P. Gregorius.

MIrabaris forſan, præſes digniſſime, quod te ſicut antea per pręteritum quadrimeſtre tempus, vt par erat, minimè ſalutauerim. Habes tamen nunc, moræ meæ rationem, & cauſam etiam, cur neque per eoſdem menſes inter cauſarum patronos, in curiæ ſenatus ſubſelliis, nō apparuerim.

DE IVSTITIA ET LEGIBVS, LIBER I.

CAP. I.

1 TRACTATVRIS nobis de concordia, harmoniáque non dicam ciuitatis vnius, ſed totius mundi, nempe de filiabus quibuſdam conſultiſsimæ Themidis, tam ſanctum munus tractare, manibus communibus & illotis, profanum eſſet. Et fruſtra, hoc ipſum aggredi tentaremus, non aſcita, ab exordio diuini numinis ope. Eſt enim teſte Pindaro.[a]

> Γλυκὺ δ' ἀνθρώ-
> πων τέλος, ἀρχά τε δαίμο-
> νος ὀρνύντος αὔξεται.

hoc eſt, Dulcis hominibus exitus, principium autem Deo impellente creſcit. Et vt Aratus Solenſis ait,[b]

a *in Pithiis Od. 10. Antiſtrophe. verſu 5.*

b *in Phænomen. verſu 2.*